



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

6. Iuramentum exigere à pejeraturo, vel juraturo per fallos Deos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

ocasio (quamvis extrinseca) non est voluntarie assumpta: At in casu nostro, præterquam quod est intrinseca in ipsa anima, est item non voluntarie assumpta: ergo, &c. Minor probatur, quia qui frequenter incidit volens in culpas, non advertit, unde nec deliberat vult habitum ex illa consuetudine peccandi consurgentem, ergo non voluntarie, nec directe, nec indirecte talem habitum recipit, retinetque: at quicumque enim voluntarium advertentia opus est, ut supra diximus. Quod si illum habitum, v.g. peccandi reciperet, & expresse actu retinere quis vellet, ut maiorem facilitatem haberet in peccando, (quod certe nimia esset perversitas) novum enim saltem peccato peccaret, non inficior, etiam si actu non peccaret: nos de tanto crimine hic non disputamus, sed de eo solum, quo quis non curat, seu negativè se habet, ad extirpandum. Præterea, esto ad sit aliqua obligatio extirpandi dictum habitum, (qui certe non est ex se peccatum, sed effectus peccati præteriti) ex eo, quia est causa facilitandi peccata sequentia: tamen ejusmodi obligatio est imbibita in ipsa obligatione iterum non peccandi, & cum illa moraliter confunditur; neque enim in moralibus est tanta subtilitate agendum, ut numero diversa una ex his obligationibus, judicetur ab alia, sicuti è contrà judicatur illa externa, & voluntarie assumpta de concubina.

5. Confirmatur, quia fragilitas, immò malitia in peccando sunt occasiones, & causæ propter quas homo peccat, sed quia sunt internæ, nec voluntarie per actum positivum volitæ, non arguunt novum peccatum in eo, qui remedia se corroborandi, ac fragilitatem, malitiamque tollendi, Jejunia, v.g. Orationes, Sacramenta, Pietatemque frequentando, non assumit; & tamen sic argumentari quasi per eadem verba Castro, quis posset: Fragilitas est causa sæpe pejerandi, fornicandi, &c. ergo qui illam non præcurat expellere, censetur velle perjurium, fornicationem, &c. quo, certe arguendi modo nullus adhuc usus est.

6. Stet igitur, puram negligentiam non extirpandi dictam consuetudinem non esse novum numero peccatum, nisi quando expresse actu haberi seu teneri (quod rarissimum est, ut dixi) ea intendatur: licet ad illam positivè pro viribus evellendam penitentes exhortari, atque urgere, ne dicam cogere, Confessarius omninò debeat.

§. VI. *Iuramentum exigere à pejeraturo, vel juraturo per falsos Deos.*

1. Cum justa & proportionata causa non est id peccatum, sive à parato, sive à non parato id exigas: est utique, si sine causa etiam à parato petas, & quidem ex genere suo mortale: ita S. Th. 2.2. q. 89. ar. 4. Suar. Sanc. Sal. Less. apud Bon. 1.2. d. 4. de jur. q. 1. p. 11. Idemque propter paritatem rationis est in iuramento promissorio, si illud ab eo petas, qui creditur promissa non observaturus. Ita Suar. 1.2. de Rel. lib. 3. de jur. Cap. 14. Sánchez. lib. 3. in Dec. c. 8. n. 8. Castro. 1.3. d. 1. de jur. p. 10. p. 11. Ratio posterioris dicti est, quia sic inducitur proximus ad peccatum. Ratio prioris est, quia justa causa excusat à culpa, quando ab aliquo exposcitur opus ex se indifferens, licet sciatur cum peccato illud opus esse faciendum; nam propterea non debes peccare, ut infidelis juret per deos falsos, vel ut fidelis juret falsò seu temerè, sed absolute ut juret. Nonnulli ut Sanchez in dec. lib. 3. cap. 8. n. 23. & 24. & ex Hurtado Diana p. 5. tr. 7. ref. 9. judicant esse tantum peccatum veniale exigere sine causa iuramentum ab infideli parato, quia probabile est ex multis, non esse nisi veniale petere ab usurario mutuum sine causa: sed certe probabilius est, quod diximus, ex Castro Pal. loc. cit. n. 6. licet & hoc sit etiam probabile.

2. Hinc Judex ratione Officij hinc Privatus ratione sui juris tuendi, vel exposcendi, hinc Imperator ratione fœderis pulsandi, poterunt ab his petere iuramentum, qui perperam juraturi per ipsorum malitiam probabiliter creduntur: sic Azor. p. 1. lib. 11. c. 11. q. 2. Aliique cit. à Bonac. ibid. n. 3. fin. Dico, probabiliter, si enim solum

sub dubio, etiam sine causa, petere ex omnium sententia poterunt. siquidem, in dubio alterum velle pejerare non est præsumendum.

3. Sed quid, si quis inducat ad jurandum falsum, quod jurans putat verum, ipse verò inducens sciat esse falsum? Respondet hinc mortaliter peccaturum; sic Bonac. ibid. nym. 3. cit. Azor. Sánchez Suar. facit enim, ut Deus se vera in testis falsi adducatur, quatenus jurans propter bonam fidem excusetur.

4. In quibusdam Civitatibus sunt quedam Officia, quæ Civibus, non verò exteris, quatenus diu inibi per omnimodam domicilij mutationem sint commorati, distribuntur. Titius ergo, qui à teneris unguiculis in quadam ex his Civitatibus educatus, credebatur à pluribus naturalis Civis, à pluribus autem incola, cupiebat eos, qui verem se habebant negligere, qui autem sibi favere possent, in testimonium de certa scientia adducere: verum, an id fieri à se posset, quantum ad iuramentum pertinebat, me peramicè sciscitatus est; nam quantum ad cetera, quæ obstat poterant fratre enim id erat contra iustitiam, si quidem intendebatur præferri veris naturalibus, si aliunde consuliisse prætextu quorundam compensationum assererat: curque ego negativè respondi, sem, ac modò astatam doctrinam Bonacinæ ostendisse, noluit acquiescere, afferens in hoc casu non peccaturos amicos, quia verum se jurare potabant: non ipsum, quia nihil ipse jurabat, unde ergo peccati ratio deducti posset? Dixi culpam esse inductionem ad illud iuramentum, licet solum materialiter falsum.

5. Illustravi id exemplis allatis à de Lugo l. max. cit. Fac tuum fratrem ebrium esse, quem inducas ad contumelias graves contra commonem parentem contorquendas: certe non peccabit ebrius, at in peccatum tu incidis, qui mediante fratre injurius esse non verearis patri: Fac te commovere infancem ad blasphemandum Deum, vel conculecandam sacram Imaginem. Infans, propter infirmam mentem, non delinquet; quis autem te unquam excusabit, dum advertens verba illa, & facta esse blasphemata, ea in os, & animum infantis immittis? Fac tuum servum putare hodie non esse diem festum, si cum tu sine causa ad laborandum compellis, nonne ipse excusabitur, tu verò de præcepti violatione damnaberis? Hæc & similia, quæ traduntur à Doctores apud Castro. tom. 1. d. 1. de leg. p. 24. §. 2. in ea questione, An sive excusatis à lege, præs. à lege non comprehensis liceat subministrare contra legem: ut audivit amicus, viditque similem apparere casum nostrum, manus non invitus dedit.

6. Non me later Petrum Hurtadum, quem sequitur Diana, p. 5. tr. 7. de scandalo, ref. 14. & Tancr. de rel. disp. 5. de perjurio, n. 11. docere esse probabile, non esse culpam inducere testem ad jurandum in prædicto casu; sed ne, me later Joannem de Lugo 1.2. de just. d. 3. o. sect. 3. à de 1. putasse, ejusmodi Hurtadi sententiam apparente, solum posse defendi.

7. Verum, ut ingenuè fatear, post aliquot à consilio dato menses, subit mentem meam disparitas inter casum nostrum, & exemplum 5. allatum, quibus nitebatur tota vis consilij mei. Ille enim homo excitando ebrium ad injuriandum patrem, infancem ad blasphemandum Deum, servum ad laborandum die festivo, cognoscit eas actiones esse materialiter pravas, & nullo modo inducere ullam bonitatem, quare eas, nec velle, nec intendere, nec consilium potest. At in casu nostro adverti in eo, qui modo dicto sine proximi damno, ut supponimus, jurat, ad esse bonitatem virtutis Religionis; jurare enim id, quod sine culpa putatur esse verum, actus est Religionis. Hoc igitur bonum, si ex proportionata saltem causa intendat is, qui ad illud iuramentum proximum inducit, non peccabit: quod bonum formale, cum non sit in illis aliis actionibus, non est mirum, si in illas proximum inducere nequaquam sine peccato potest. Subtilis alicui videbitur, sed certe vera distinctio: ut si penetreretur, censenda sit in posterum probabilis Hurtadi hoc modo explicata sententia.

CAPUT